fat. in Syntagma XVII. Hiſt. Deorum p. 450.

18) Nondum extra controverſiæ aleam eſſe poſitum, An hodiernæ reſpublicæ literariæ antiqvis, an antiqvæ hodiernis ſint præferendæ. Et an ea, qve inventa ſunt a recentioribus, an vero qvæ ex antiqvioribus ſunt deperdita, ſint præſtantiora?

19) Gentes toto cœlo diverſas in eadem poſſe incidere inventa, hominesqve ſpatioſis regionibus diſſitos in easdem hypotheſes.

20) Ut reſpublica literaria floreat requiri, ut una tantum ſit *Eruditorum lingua*; *Secta nulla*; ſpeculatio ſine praxi nulla; eruditio ſine virtute nulla; nobilitas ſine eruditione nulla.

21) Multos eſſe thyrſigeros, paucos, Bachos, multos Hiſtoriæ Philoſophicæ conditores, qvi hiſtoriam Philoſophicam Sinenſium tradere conati ſunt, paucos qvi tradiderunt.

Caput III.

DE OBJECTO HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ SINENSIUM.

§. I.

Objectum in cuius fatis exponendis diſtinetur hæc Hiſtoria, eſt ipſa philoſo-